

CONSILIVM CLXXV.

A Montano dictum in colloquio.

Go supponam, quæ antè dicta sunt omnia. Incipiamus à membris naturalibus, in quibus ferè omnibus dispositiones præter naturales inveniuntur, & maximæ tensiones tam circa lienem, quàm circa hepar totumque ventrem, idque magis ex flatu quàm ex aliqua materia. Præterea tussim intensam in eo videmus & excreationem purulentam, tum quoque febrem, in qua est pulsus valde inordinatus, & ideo multum à naturali discessit dispositio virtutis vitalis, adest & calor mordicativus. Videmus etiam in hoc nobili iuvene magnam gracilitatem totius corporis. Quare de his omnibus ordine omnium primò pauca quædam dicemus. Quantum ergo attinet ad primum, nempe membrorum naturalium tensionem flatulentam, sciendum quòd ubi illa est, ibi necessario sequi oportere imperfectam concoctionem, præsentemque esse caloris imbecillitatem, cui maxime obnoxius est ventriculus ex prædictis causis, quas enumeravit excell. Doctor. similiter etià de caliditate hepatis, quas ego suppono tãquam verè dictas. Quare existente super calefacto hepate, & non sufficienti vetriculi frigiditatem corrigere, necessario statuendum erit magni vetriculi frigiditatem esse, atque inde sequi plurimas cruditates, quæ originem ducunt ex eius debilitate, quas cruditates hepar propter sui nimiam supercalefactionem attrahit avidius & citius, quæ partim in viis, partim in ipso hepate propter viscositatem diutius retinetur, & ideo aduruntur: ex quorum adustione generantur obstructions, & tenuiorum partium flatus propter cruditates. Nã materia seu humor prodiens ex deprauata cõcoctione unã non emendatur in altera, hoc est venies crudus ex ventriculo, non concoquitur in venis mesaraicis, nec in hepate, & ideo necessario flatuatur, atque inde tensiones illæ naturalium membrorum & totius ventris, cuius rei principalis causa ventriculus dignoscitur esse: & non tantum hæc intemperiem ex accidente consequutus, sed mox à natura ad eam dispositionem fuit propensus: cuius rei argumētum est gracilitas totius corporis & siccitas ac tenuitas musculorum abdominis. talē etiam tēperiem naturaliter nactus est, vt ex cordis & hepatis consensu facile liquet. Præsentis ergo affectionis mēbra naturalia causæ principales sunt, ad quas inordinatus victus accesserat, easque auxerat. Hinc itaque colligendum, multitudinē humorum prauorum eum collegisse & coaceruasse, quæ cum in aliquo corpore existit tanquam preparata materia ad corruptionem, ab extrinsecis aduenientibus causis facile suscipit impressionem: quæadmodum hic in eo factum est, cum videlicet in calido cubiculo pernoctasset, aliquantulum corpus resolutum fuerat, caputque supercalefactum, deinde foras improvidè exeundo facillimè præter omnium opinionem ex aeris alteratione impressionem contraxerat, cum videlicet antehac noctu mali illi humores ex toto corpore in caput evaporassent, repletionemque fecisset, resoluti per calo-

A rem deorsum destillare cœperunt: superueniente tandè aere frigido pori sunt occlusi, calorque ad interiora fortius repulsus, fluxionem auxit. Quòd autem ista fluxio durat hucusque, in causa est repletio huiusmodi materierum per totum corpus, eoque semper confluant, ubi factum est initium motus ad fluxionem, in similitudine alicuius magni acerui lapidum ex ordine constructi, in quo cum vnus lapis quacunque in parte mouetur, eò & cæteri ruunt de suo loco: & si imbecillia facta sunt mēbra, tunc etiam **B** plures materias regenerant. Vnde non mirum, si ad longissimum tempus etiã talis fluxio perseueret. Quòd autem tussit & purulētas excretiones facit, in causa est, quòd illa materia ex capite pectori cõmunicatur. Nec mirum cum ista pars est inferior, & talibus fluxionibus obnoxia ferè in quolibet: tum verò maxime in hoc iuvene, qui naturaliter thoracè dispositum ad recipiēdas huiusmodi fluxiones habet. Est enim ei angustissimus, musculusque imbecillibus præditus, & maxime in superiori parte exiccatus, tum quoque ita naturaliter cõparatus, vt multò facilius in pectus & pulmonem fiat destillatio, quàm in vetriculum, propter ampliorē meatum. Quare verò sputa illa colorata esse conspiciantur, meo iudicio causa eius rei illa esse dignoscitur: Cum iste fluxus sit per consensum, & trāsmittatur ad caput ex toto corpore & mēbris naturalibus: hepar itaque tales humores adurit, qui sursum eleuati vicissim desluunt, & in pectore vel in pulmone morā trahētes aduruntur & colorantur. hinc ex adustione & falsedo & coloratio. ferè enim semper id fit, vt cum destillat catarrhus, sit tenuis, & non immeritò, quia per angustos & subtiles meatus protēditur: crassa enim eò non possunt deuenire. Tandè verò descendēs in thoracem, id quòd tenue est, incrassatur, & quòd biliosum est nigrescit, vltiorē experiundo calorē. Inde color in sputo qui cõspicitur: sed quia sanguinē expuit, hinc solutio vnitatis est manifesta: illa autē quomodo cõtigerit, in præsentem est videndum, & quænam proxima eius causa sit. Causæ autē iam sunt manifestæ, ex quibus sanguinis expuitio fieri possit ex narratione excell. doctoris, quæ repetere superuacaneum. Sed quatum ad causam illam, quæ ex corrosione fit, attinet, non videtur in præsentem affectu locum habere propterea, quia si corrosio facta fuisset venarum, necessario vlcus subsecutum fuisset, eo existēte, impossibile est vltra triduum sine febris hecticæ initium in pulmone generatis existere. Hic autē cum non tantum dies & septimanæ præterierint, sed quoque menses 4. aut 5. quæadmodum in historia narrata præmissum est: ideo non est possibile id ab erosione illi accidisse: sed quæadmodum vtpurimum fit, cum fluxus est capite deorsum in pectus vel in pulmonem delabatur, calore incrassatur, redditurque viscosus, atque sic adhærens parietibus redditur firmior & magis fixè imprimitur, ad cuius expulsionem opus est violentiore & fortiore motu thoracis, & pulmonis per tussim efficientis materiã, aut saltem contrudētis ad eiectionem, qui motus materias auellendo, facit quædam partium excoriationem, ad quã sequitur sanguinis proruptio, modesta tamē. Atque hoc in casu ego dixerim esse causam, & non alteram. Nã catarrhus ille visci-